DE
LACONICIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XVI. M. APRILIS A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ADOLPHUS HIRSCH
MARCHICUS.

OPPONENTIBUS:
L. DE NAURATH, MED. ET CHIR. DD.
N. LIPPMANN, MED. ET CHIR. DD.
A. BOHM, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Vir

VIRO

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO,

EXPERIENTISSIMO

AEMILIO OSANN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE PROFESSORI PUBL. ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI ET IN ACADEMIA MILITARI MEDICO-CHIRURGICA, EQUITI ORDINIS REGII AB AQUILA RUBRA, MEDICO APUD BEROLINENSES PRACTICO, SOCIETATUM LITERARIARUM COMPLURIUM SODALI. ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CLARISSIMO,

ERUDITISSIMO,

E. D. AUG. BARTELS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI CLINICI MEDICI DIRECTORI, REGI A CONSILIIS MED. INTIMIS, COLLEGII MEDICO-TECHNICI PRIMARII MEMBRO, ORDINIS LEONIS AUREI HASSIACI ET ORDINIS REGII AB AQUILA RUBRA EQUITI, PLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

NEC NON

AVUNCULO DILECTISSIMO

H. FALKENSTEIN,

MERCATORI ET BALNEORUM BEROLINI POSSESSORI,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCT

LECTURIS S.

Artis medicae quum tam late pateat campus, ut etiam nunc viri amplissimi in eo excolendo operam locare non graventur, si juvenis medicus, cui percurso stadio academico instat rationis reddendae momentum, quamnam sibi eligat dissertationis conscribendae materiam suspenso animo haeret, vix est quod adeo mirum videatur. Nam nisi forte turpi arrogantia insigne stuporis atque ignorantiae specimen edere velit, persuasum sibi habeat necesse est, vix primas lineas tantae disciplinae ingenio se percepisse; morique tantum academico, conscribi aliquid, ut doctoris gradus rite capessatur, jubenti obsecutus, dubitanter opellam suam qualemcunque in lucem emittit. Librum enim edituro id magnopere videndum est, ut, qua de re scribat, in ea novi aliquid homines edoceri posse confidat. Haec omnia perspecta mihi habenti felicissimo tamen casu contigit, ut dubitatione de argumento supersedere possem, firmumque jam ab initio studiorum stetit scribendi de laconicis consilium. Quum enim apud avunculum meum, balneorum hoc loco possessorem,

domicilium haberem, commodissima oblata erat, omnia, quae huc pertinent, accuratius cognoscendi occasio. Nam non solum ipse ego plerumque bis per hebdomadem his balneis usus sum, quum ut sanitati meae consulerem, tum, ut quae esset omnis eorum vis diligentius explorarem; sed ex colloquiis quoque, quae cum visitantibus aegrotis habere licuit, et quae ipsi experti essent, et quo consilio ducti medici huc eos misissent, comperire in meumque usum convertere studui. Neque indigenarum tantum et urbanorum opiniones atque sententias colligere obtigit, sed cum hospitibus undique ex Germania convenientibus, Francogallis quoque, ipsis Russis sermones hac de re non sine fructu habui. Quae igitur sic usu et lectione innotuerunt diligenter conscripsi, haud captans gloriolam, satis scilicet ipse mihi conscius, longe meliora ab aliis posse praestari, votorumque compos, si graviores errores vitavero, sin novum aliquid atque plausibile prolatum a me esse censueritis, plus quam speraveram assecutus exsultabo.

LITERATURA.

John Symon observations on vaporous bathing and its effects, with some particular cases, in which it was used with succes. Lond. 1766. 8.

Heinr. Matth. Markard. Von der Einrichtung, dem Gebrauch und Nutzen der Dampf- und Qualmbäder. In dessen medicin. Versuchen. Leipz. 1777. 8. 2 Thl.

Ant. Rib. Sanchez. Die Russischen Dampfbäder. Aus dem Franz. von Jochmus. Mit einer Vorrede und Anmerkungen von Benj. Erhard. Berlin 1819.

J. C. Reil. Die Anwendung des Dampfkessels zur Errichtung örtlicher Qualmbäder. Hallisches patriotisches Wochenblatt. Jahrg. 1809. Nr. 18.

Chr. Fr. Hirsch. Von den Vortheilen der in den kaiserl. russisch. Staaten gebräuchlichen Dampf- und Schwitzbäder und ihrer Einrichtung. Bamberg 1818. 8.

Rapou sur l'admiatrique ou medecine par les vapeurs. Paris 1819.

G. F. Pochhammer, Russ. Dampfbäder als Heilmittel durch Erfolge bewährt. Mit einer Anweisung zum Gebrauch der russ. Dampfbäder von Dr. J. G. Schmidt. Berlin 1824.

Rapou de la methode fumigatoire ou de l'emploi medicale des bains et douches de vapeurs. Paris 1823. Vol. 2. 8.

J. W. Tolberg, über Einrichtung, Gebrauch und Wirkung des russ. Dampfbades bei dem Soolbade zu Elmen. Magdeburg 1826. 8.

Carl Barrie, russ. Bäder nebst einer Anweisung zum zweckmäfsigen Gebrauch etc. Hamburg 1828. 8.

Carolus Wiegand, dissert. de laconicis eorumque in corpus effectu etc. Berol. 1829.

Joseph Ritter von Vering, über die russ. Schwitzbäder, deren Gebrauch und Heilkräfte. Wien 1828. 8.

Fr. W. Leop. Käst, einige Worte über die wahre Bedeutung des russ. Dampfbades in heilkräftiger Hinsicht. Zeitz 1829. 8.

Carl Chr. Hille, das Dampfbad, seine Einrichtung, Wirkung und Anwendung. Leipzig 1829.

Encyclopädisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften. Herausgegeben von Busch, v. Gräfe, Hufeland, Link, Rudolphi. Band 7. Artikel Bäder. Berlin 1831.

I. DE LACONICORUM HISTORIA.

Jam antiquissimis temporibus populos Asiae meridionalis et Africae septentrionalis laconicis usos esse invenimus. Item Indiae gentes quique peninsulam Arabiae incolebant populi Aegyptiique ad salutem corporis corroborandam ea adhibere solebant; et quemadmodum inter illos populos tota vivendi ratio sacris praeceptis coercebatur, ita laconicorum quoque usus inter religiosa instituta numerabatur, praesertim mulieribus, catameniis peractis, hoc purgandi remedium commendatum erat. Quae autem ad illa balnea aedificia instructa erant, magnam molem prae se ferebant, magnumque habebant ambitum, id quod tum ex Aegyptiis tum ex Indicis ruinis colligere licet.

His balneis qui uti volebant, primum quidem frigidum vestibulum ingrediebantur, inde per complura conclavia magis magisque calida illud balneum intrabant, ubi vapores ex pelvi calida aqua repleta explicabantur diversisque gratis odoribus miscebantur. Ex illo balneo paullatim frigidiores viae in extremum conclave reducebant, quo lavati inter varias contrectationes detergebantur. Apud Indos, qui se ita lavabant, calida aqua imbuebantur et tum ea ratione, quae Schampuen vocatur et qua partes molles massantur, articulationes extensione relaxantur, ad alias frictiones et perunctiones praeparabantur. Lavati non corpore magis quam animo recreatos se sentiunt. Apud Graecos et Romanos laconica cum vulgaribus balneis conjuncta erant. Omnia Graecorum gymnasia praeter frigida, tepida, calida balnea sudatoriis quoque gaudebant, ubi lavatione peracta fricabantur corpora et perungebantur. In Thermis Romanorum sub medio conclavi erat concameratio, Hypocaustum, quae carbonibus calefacta, conclavia, quae supra erant, calidis vaporibus implebat. Peracta lavatione corpus subtilibus vestimentis velatum diligenter detergebatur, ac tum unguentis imbutum spongiis, manibus, strigilibus fricabatur.

A Graecis laconicorum usus ad Turcas transiit. Ex ea, quam nunc inter Turcas invenimus, consuetudine solum balnei marmore stratum per tubos a foco subterraneo proficiscentes calefit, et in ipsa lavatione aqua perfunditur, quae ita in vapores evanescit. Qui balneo utuntur a pectore usque ad pedes xylino vel linteo semicinctio velati sunt et post balneum in adjuncto temperati caloris cubiculo quiescentes in lectis coffea aliisque potibus calidis fruuntur. Haud improbabile est Russos quoque pariter laconicorum usum a Graecis accepisse, quamquam sunt qui ab Arabibus eorum cognitionem ad illos venisse perhibeant. In laconicis Russicis, quorum in quovis fere majori pago unum est, vapores ita efficiuntur, ut silicibus majoribus in crate ferrea clathrata igne subdito calefactis aqua infundatur. Lavaturus vestibus exutis in unum e scamnis gradatim in altum exstructis recumbit, altius vel humilius, quo majori vel minori corpus calori exponere vult. Simul corpus sudore opertum ramulis betulinis aquae saporatae imbutis flagellatur, deinde fricatur et frigida aqua infunditur. Juxta sudatorium vulgo in laconicis invenitur locus septus cum puteo, in quo lavans refrigeratur, ut rursus in sudatorium redeat. Propter enormem calorem, qui

nonnunquam ad 60—70° Reaum. intenditur, et multas horas, quas lavantes ei immorantur, multam saepe frigidam aquam bibere coguntur, unde non raro apoplexiae incidunt. Laconica Finnorum sunt specus suffossi, qui liberiore vel occultiore igni usque ad 60° Reaum. calefiunt. Hibernica laconica ad furnorum formam exstructa sunt, valde angusta, introitu humili obturando et turfo calefiunt. Qui lavatur in angusto hoc loco complures horas transigit. Similia sudatoria inveniuntur in Pensilvania. In Italia nonnullis locis vapores calidi vulcanici e terra emergunt, qui in specubus collecti in medicinae usum convertuntur.

Laconica Russica, quae in altero antecedentis seculi dimidio per Symon et Denman in Anglia innotuerunt, per Marcard in Germania laudata, a Sanchez commendata sunt, et quorum vim dynamicam Reil ingeniose percepit, ultimis hisce quindecim annis observationibus virorum clarorum Hirsch, Tolberg, Schmidt, Barrie, Hille, Rast, de Vering, aptaque et commoda instructione, de qua Berolini Pochhammer, Falkenstein, Welper, de Winterfeld aliique, Dresdae Dr. Ruschpler et Junghans, Elmae Tolberg, Hamburgi Dr. Barrie optime meriti sunt,

effloruere, et conjuncta cum balneis topicis, superfusionibus impetuosis, balneis, quibus corpus guttatim conspergitur (Barrie's Sprudelbad), et balneis pluviatilibus vel vaporationibus, quas Lugduni Dr. Rapou induxit, et variis fricandi modis illoque, quod nuper apud Anglos in usum venit, Schampuen Indico in dies magis emendantur.

In fine breviter attingamus varias illas, de quibus supra diximus, vaporum aquatilium efficiendorum rationes diversasque quae apud illas quas recensuimus gentes locum obtinent, sudandi consuetudines. Partim enim vapores ex aqua ferventi in ahenis vaporariis praeparantur (Qualmbäder), partim in superficie cutis ejus qui lavatur, infusa aqua calida et insequenti frictione, partim silicibus candentibus, quibus aqua infunditur (haec praecipue sunt balnea Russica). Partim quoque sudatoria thermalia tantum sunt, ut Hibernica, aere calefacto. Et quod cutis superficies calida aura vel sicca vel madida circumdatur, id non eodem modo animalem organismum afficit. Sed de omnibus his agere difficilior et fusior res est, quam cui arcti hujus commentationis fines sufficiant. Nos ea tantum laconica considerabimus, quae aqua silicibus calefactis in-

fusa efficiuntur, hic illic, quibus rebus a ceteris sudatoriis discrepent, breviter indicaturi.

II. LACONICORUM EFFICACIA.

Primaria laconicorum efficacia est in cutis superficiem et, qui membrana mucosa obducti sunt, respirationis et digestionis apparatus et ductus uriniferos; adstricta tamen legibus physicis et vitalibus. Simulac lavaturus balneum intravit, humore cutis circumlinitur. Hoc plane physicum est. Minori enim corporis temperatura, quae circiter 29 — 30° Reaum. esse solet, calidiores aquae particulae in vapores transformatae condensantur, deprimuntur et guttarum forma corpori inhaerescunt. Qui igitur in corporibus defluunt humores, non sunt habendi reagentis organismi effectus neque vera cutis secretio vel sudor, sed calore vaporibus detracto efficiuntur. Vitalis efficacia prima est irritans, et exercetur in externam cutem et membranas pituitosas. Vasa capillaria ad majorem actionem incitantur, sanguinis copia ad illas membranas ducitur, sudoris et muci secretio augetur. Cutis turgescit, rubescit et

spasmus nervorum cutaneorum tollitur; unde venit sedata nervorum periphericorum conditio. Haec topica balnei in cutem efficacia augetur, corpore spongiis vel strigilibus fricato vel massato vel ramulis betulinis flagellato, magis autem adhibitis rubefacientibus. Ingeniose Reil hanc rem explicat. Cum enim vapores ex elementis ignis et aquae quasi corrigentis compositos fingat, et irritantis et sedantis efficaciae caussam habet.

Quod ad mucosas membranas attinet, respiratoriis praecipue viis aquae vapores prosunt. Primo quidem momento temporis lavans angorem quendam sentit, insolitum scilicet quiddam inspirans, sed mox calor expansivam suam vim exercet, pulmones dilatantur, respirationis viae extenduntur, altior fit inspiratio et salubris illa vis, quam in calidis regionibus humidus aër in phthisicos exercet, hic non desideratur. Minus afficitur apparatus digestionis, quoniam antagonistica cutis superficies actione praevalet; nihilominus autem ductus uriniferi auctae vitalitatis participes fiunt, unde major quoque est in laconico urinae secretio (Wiegand).

Quem nunc descripsimus laconici effectum superficialis quidam haberi eamque ob caussam cum vi electrica comparari potest. Nonnulli auctores

magni hoc momenti aestimantes laconicorum efficaciam esse electricitatis organicae impariter dispertitae exaequationem et intensionem exauctam contenderunt (Hirsch). Nimium autem viribus electricis ac magneticis in explicandis rebus vitalibus tribuere, quot quantosque errores progenuerit, satis hodie notum est, consultiusque fuerit parum curare istas explicandi rationes, donec in iis versatur electricitatis doctrina regionibus, quibus, quoniam maximam partem incognitae omnibus sunt, omnia putantur posse inveniri.

Jam secundaria laconicorum in totum vasorum systema efficacia consideranda erit. Adaucta periphèrica actio paullatim etiam ad centralia organa transit. Frequentia pulsus valde augetur, et qui vulgo in minuta septuagies vel octogies micuit, jam centies vicies vel pluries micat. Simul vasorum parietes extenduntur, et abnormis, quae in tot morbis inter arterias et venas intercedit, relatio exaequatur; venae imprimis ad majorem alacritatem incitantur. Stagnationes resolvuntur, congestiones ad organa centralia, pulmonem, cerebrum, oculum efficiuntur, tum praecipue, quum excretiones per sudorem cum adaucta sanguinis actione haud pariter currunt. Itaque oculorum inflammationes catarrha-

lium similes, quae tamen benignae sunt et celeriter transeunt, saepe post laconicorum usum observantur, praesertim si vapores ex aqua ferventi in ahenis erant praeparati. Congestiones igitur ad caput ne perniciosae fiant, spongiis vel linteis aquae frigidae imbutis tollendae sunt; qua cautela neglecta saepe apoplexias ortas esse Ribeiro Sanchez in Russia cognovit.

Accelerata saguinis circulatione major quoque calor animalis oritur, neque tamen ille cum vaporum circumfusorum calore pariter procedit. Balnei aëre usque ad 40° Reaum. temperaturam calefacto, cavitas oris animalem calorem circiter 32° Reaum. exhibuit (Wiegand), in majori vaporum usque ad 46° Reaum. temperatura, 33° Reaum. ejusdem cavitatis calor fuit. Itaque etiam hic nota illa lex physiologica comprobatur, sua libertate uti calorem animalem, neque subjectum esse rerum circumdatarum conditioni. Memorandum quoque est, aquae particularum, quae supra corpus diffusa sunt, evaporatione calorem corpori detrahi, nascique lassitudinem, nisi frigida superfusa liberiori caloris procreationi fines imponantur.

His omnibus accurate perpensis libenter viro cel. Tolberg assentimur, qui laconicis artificiosam

quandam febrem excitari ait, quae sine sicco ardore et sine respirationis angore cum salutari evaporatione conjuncta morbis chronicis, qui fortuitis saepe febribus sanantur, exoptatum fieri possit remedium.

Jam reliquum est, ut, quomodo systema lymphaticum et fibrae organicae laconicis afficiantur, exponamus. Ut vasa sanguifera, sic lymphatica quoque et glandulae ad vividiorem actionem incitantur, atque ita frequens illa hujus systematis stagnatio, quae insanabilem digestionis perturbationem afferre solet, tollitur. Praeterea absorbetur quidquid in cute vel organorum parenchymate morbose resedit. Quanta sit in concrementis arthriticis et accumulationibus tuberculosis haec efficacia, paullo post demonstrare conabimur. Aucta resorptione atque egestione corporis pondus fere imminuitur semilibra vel libra et dimidia post unamquamque sudationem (Hille, Wiegand). Fibram musculi tendinis et cutis intrante vaporum vi extendi, laxari atque emolliri, facile apparet, eoque aptius videtur Reilii dictum, »vaporibus mortuam massam ad vitam suscitari, et senescens jam corpus denuo revirescere.«

III. DE MORBIS LACONICA INDICANTIBUS.

Si specificam vim, quam laconica in organa cutanea exercent, consideramus, sine dubio rheumatismo et catarrho imprimis salubria videbuntur. Quae plerumque in hoc morborum genere adhiberi solent remedia, eorum si quae salutaris fuit efficacia, debetur consensui, qui illis cum organis cutaneis intercedit; neque tamen ulla cum ingenti laconicorum efficacia comparari potest. Inde fit, ut in catalogis, quos qui de laconicis egere scriptores confecerunt, morborum hac curatione sanatorum magnum numerum inveniamus eorum, qui ad rheumatismi et arthritidis genus pertinent.

Proxime loquamur de rheumatismo acuto. Facile intelligitur, febrem rheumaticam et rheumatismum acutum laconicorum usum non admittere, ut quibus synocha, jam per se violenta augeretur, et topica inflammatio intenderetur. Itaque initio his in casibus idonea curatio antiphlogistico-diaphoretica indicatur. Aliter res se habet in rheumatismis chronicis. Vehementes dolores, qui in fibrosis musculorum fasciis et articulationum membranis et in ipsis musculorum fibris sedem habent, nec non ha-

rum partium tumores nullo remedio celerius tutiusque sanantur, quam laconicis. Ex morbis praecipue huc pertinentibus hosce apponamus: rheumatismos colli cum siccitate, oppressione, respiratione anxia, loquela impedita et raucitate; oculorum inflammationes chronicas rheumaticas; carditidem rheumaticam antecedente antiphlogosi; anasarcam inflammatoriam, carditidis rheumaticae comitem; internae partis auris tumorem rheumaticum, odontalgiam rheumaticam, rheumatismos galeae aponeuroticae, ischiadem et lumbaginem rheumaticam.

Quae jam sequitur morborum laconicis sanandorum series comprehenditur catarrho, praecipue gravioribus ejus formis. Imprimis huc pertinet coryza (gravedo), quae maxime sinus frontalis membranam mucosam afficit et narium siccitate aërisque per eos impermeabilitate sui indicium prodit, et cujus crisis ubere et mucosa secretione in laconicorum usu effici solet; deinde laryngis et tracheae catarrhus, Etiam chronica laryngis inflammatio prorsus sanata est hoc remedio. Bene tamen notandus est inflammationis gradus et quae fortasse jam incidit suppuratio, ut quibus contraria indicia exhibeantur. Denique huc refertur vesicae urinariae catarrhus cum dysuria et mucosa secretione conjunctus

Transeamus ad novum morborum genus, quod a prima laconicorum in Germania institutione longe plurima hujus curationis exempla dedit, ad arthritidem. Si verum statuimus, in quo omnes hodie consentiunt, primariam arthritidis sedem esse in affectis abdominis organis, secundum vetus illud placitum, venae portae sanguinem propriam arthritidis materiam proferre, insignes in his casibus laconicorum effectus aliam non habere caussam apparebit, quam relationem, quae cum venarum systemate illis intercedit.

Balnea vaporaria etsi non mediocriter incitare arteriale systema diximus, haec tamen formula constituenda est, incitantem eorum vim lymphaticum et venosum, sedantem magis arteriale et nervosum systema attingere (Schmidt). In inferioribus igitur vegetativis et reproductivis organis praecipua eorum efficacia cognoscitur. Sic locus quoque datus est, quem inter remedia contra arthritidem commendata laconica obtineant.

Inter ipsum arthritidis paroxysmum balnea adhibere inutile foret, quamquam compluribus exemplis docemur, laconicorum usu acceleratam esse paroxysmi eruptionem, praesertim si asthenia retardatus erat. Quum vero arthritis articulationes os-

sium adorta in topici morbi processum se contulit, statusque inflammatorius antiphlogosi sublatus est, tum praeclara elucet laconicorum efficacia; dolores evanescunt, discutiuntur articulationum tumores, tophi vel prohibentur vel resorbentur.

Inveterata arthritide continuus laconicorum usus, temperatura 40 — 50° Reaum. flagitatur; conjungantur balnea topica vaporaria (Dampfdouche). Memorabile est, quod observarunt, dolores arthriticos tumoresque articulationum fixos laconicorum usu vagos fieri (Pochhammersches Journal), et in fine curationis miliarium quoddam criticum exanthema apparere, quod cavendum est ne confundatur cum eo, quod jam in primis sudationibus frictionem excipit. In ipso curationis cursu affectis articulationibus suprafusiones impetuosae sunt adhibendae.

Venimus ad tumores, qui scrophulas consequuntur, partim in externis, partim in abdominalibus glandulis. Causale momentum scrophularum est diminuta systematis lymphatici actio, antagonistice saepe aucta systematis arterialis et venosi actione atque irritabilitate. Abnormem hunc statum sequitur stagnatio lymphae glandularum materia albuminosa abundantis, acceditque sub erethistica scrophu-

larum forma harum partium inflammatio. Si tuberculosa illa massa in nobilioribus organis resedit, ut in pulmonibus, unde phthisis pulmonalis, vel in hepate, unde hepatitis chronica nascitur, dissuadendus est laconicorum usus, ut qui accelerans tuberculorum inflammationem et properans suppurationem maximae noxae esse possit. Probe igitur videndum est, ne hepatitis chronica cum arthritide confundatur, praesertim quum saepe paene eadem esse videantur utriusque symptomata. Quae in nobilioribus organis resedit massa tuberculosa magnam partem invia ea facit sanguinis circulationi, ita ut ejus cursus vaporibus acceleratus facile vasorum diruptionem et haemorrhagiam, ut haemoptoen, adducere possint. Sunt tamen, qui proposuerint (Hille) ineunte phthisi pulmonali, ut residua tubercula miliaria resorbeantur, utendum esse balneis vaporariis. Neque vero qui passim afferuntur secundi hujus curationis eventus satis stabilire rem videntur, quum constet, quam facile primo stadio phthisis cum malis viarum respirationis ex immodica irritabilitate natis (Erythrosi vera Schönleinii), vel violentis affectionibus rheumaticis et catarrhalibus confundantur. Neque tamen in scrophulosi torpida tumoribus externarum et abdomina-

lium glandularum non inflammatis, balnea vaporaria commendare dubitamus. Huc trahenda quoque est exanthematica quaedam forma, quae plerumque scrophulas comitatur, crusta lactea, quam in malignissimis casibus reprimere et prorsus sanare hoc remedium potest.

A scrophulis transeamus ad ipsa exanthemata atque ulcera. Ex illis herpetes praecipue et malignissimas ejus varietates laconicorum usu sanatas esse praedicatur. Magna illa evolutio, quam in humoribus corporis proferre possunt haec balnea, facile explicat quomodo tam pervicax dyscrasia tollatur. Etiam ubi oppressis herpetibus deterius aliud malum provenerat, ut psorica oculorum inflammatio, salutaris hujus remedii virtus non est desiderata. Scabiem quoque nonnulli ita curarunt, sed dubitamus an hic vulgares curandi rationes majori cum fructu adhibeantur. Ex ulcerum formis, quas in hanc nostram curandi rationem medici traxerunt, nominamus arthritica et alia inveterata maligna pedum ulcera. Negat quidem Rast specifica ulcera his balneis sanari posse, eaque tantum in torpidis ulceribus adhiberi jubet. Attamen specifica ulcerum imprimis inveteratorum curatio nuper toties infructuosam se praebuit, ut quae vir doctissimus objicit

non adeo magni momenti esse videantur. Inter memorabiles laconicorum vires medicatrices referimus quoque varicum curationem. Neque hanc concedit Rast, sed quae pro ea Schmidt exempla affert fide digna videntur, si rei rationem spectamus, et quae supra de laconicorum in systema venosum effectu disputata sunt respicimus. Praecipue infimarum corporis partium varices, qui tam saepe multis cum doloribus comitari graviditatem solent, balneis vaporariis perfectam medelam invenisse dicuntur. Casus epilepsiae, venosa in cavitate cranii stagnatione ortae, quem fusius Schmidt describit, dignus est, qui maxima cum attentione excipiatur.

Denique multae nervosae morborum formae, ut nimia universi corporis irritabilitas, nervosa vel immaterialia mala hypochondriaca et hysterica, cardialgia, chorea St. Viti, et omne genus torporum, apoplexiae et rheumatismi et refrigerationis reliquiae, postquam per longum tempus omnium remediorum internorum virtuti restiterant, laconicis cesserunt. Profecto sedanti quae in periphericum nervorum systema exercetur efficaciae et quae in incitando vasorum systemate versatur antagonisticae et derivatoriae multum hic videtur esse tribuendum. In malo hypochondriaco crises incidentibus affectioni-

bus temporariis catarrhalibus urinaeque jumentoso sedimento plerumque indicantur (Barrie). Hoc malo qui laboraverunt, octies vaporario usi vaporis (Dampfdouche) in abdomen ducti, vicies usi superfusionis in eandem corporis partem impetuosae salutarem experti sunt efficaciam. Certum restitutae valetudinis signum est reversa cibi appetentia et spasmi cutanei diuturna intermissio. In hypochondria cum materia quatenus vaporarii cum internorum remediorum usu conjuncti salutares esse possint effectus, parum quidem adhuc exploratum habemus, sed ex iis, quae supra de vaporarii efficacia disseruimus, conjici saltem potuerint. Notandum autem est effectum, quem hic in digestionis apparatu proferant vaporaria, differre ab eo, qui in aliorum balneorum usu animadvertitur. Quum incitata cutis actione systematis chylopoetici actiones antagonistice deprimi constet, justam hanc legem constituere licet, brevi post coenam balneis non esse utendum. Aliter in vaporariis res se habet. Quoniam enim penetrat lymphaticum et venosum systema eorum efficacia et simul perfricatur corpus, desinit noxia illa cutis functionum adauctio deductoria, neque quod aliquoties supra commemoravimus Schampuen exiguam hic ferre poterit utilitatem, quum

fortiter massato abdomine digestionis apparatus et nervorum splanchnicorum systema ad vividiorem actionem concitetur.

In fine tangendum est quod Dr. Ruschpler observavit, combustiones secundi gradus facillime atque tutissime laconicis posse sanari; ut in Anglia quoque inter combustionis remedia adhibetur magni caloris effectio ferventi oleo terebinthinae, igni etc. et qui australes Asiae regiones incolunt populi luem veneream vaporariis sanare solent. Reliquiarum, ut videbatur, hujus morbi per vaporaria curationis exemplum praebent ephemerides Pochhammeri.

IV. DE LACONICORUM USU DIAETETICO.

Ea medicinae pars, quae victu medetur (diaetetica) in tanta, quam recentissimis his temporibus disciplinae medicae expertae sunt, perfectione minorem in se convertit hominum doctorum curam; multumque ei, qui elaborare in ea vult, afferet utilitatis veterum medicorum perquisitio ejusque qua Asiae potissimum gentes utuntur vivendi consuetudinis accurata cognitio. Eximium inter vetera im-

primis Asianorum sacra obtinent locum purgandi rationes; et facile perspicitur hominum sub calido coelo viventium, quum normalem cutis actionem observarent, mature huc vocandam fuisse attentionem. Nullum autem exstat remedium, quod majorem exerceat in corporis superficiem vim medicatricem, quam balnea; ideoque, ut supra monuimus, jam antiquissimis temporibus multiplicem atque perfectissimum eorum ad valetudinem conservandam usum apud illas gentes invenimus. Ea, qua his in casibus adhibentur ratio normalis putari potest in vaporariorum usu, normalesque qui sic animadvertuntur effectus; quamquam non est obliviscendum, omnia quaecunque vim aliquam in corpus humanum exercent, sive ex atmosphaera, sive e tellure, sive ex alimentis oriunda, sive mechanice, sive chemice, longe aliter sanum corpus afficere quam aegrotum, et pro vario morborum statu ea magis vel aliter sentiri, quibus specifica quaedam cum organis vexatis est relatio. Si igitur quaerimus, quid ad conservandam valetudinem contribuant laconica, magni momenti erunt, qui eorum in cutis et peripherico nervorum atque vasorum systemate animadvertuntur effectus; quid systema lymphaticum et venosum, quid centralia humorum atque nervorum organa ex-

periantur, prae illis postputabitur. Optime igitur vaporariis purgari cutem, optime corroborari, imprimis saepius infusa aqua frigida, satis, credo, cuivis perspicuum erit. Praeterea magno corporis animi labore orta musculorum relaxatio et imminuta articulorum mobilitas hoc remedio non est, quo melius tollatur. Aequabiliter in superficie corporis distribuitur humorum massa, sedatur periphericum nervorum systema. Lavatus firmatum se atque recreatum sentit, et benigna hilaritate ad novos labores subeundos paratus procedit. Quae nimio cibo potuque nascuntur incommoda, prorsus repellit horum balneorum usus, et ad legitimam actionem totum corpus reducit.

In fine dissertationis eos apponamus morbos, qui contra laconicorum usum indicia ferunt. Sunt autem imprimis qui sequuntur: plethora, nimia vasorum systematis irritatio, sanguinis ad caput et pectus congestio, dispositio apoplexiae et haemoptoes, colliquatio, haemorrhoides fluentes, catamenia, aneurysmata, tuberculosa et alia in organis interioribus seposita concrementa, affectiones febriculosae, internae chronicae inflammationes atque exulceratio-

nes. Provectior vel minor aetas per se laconici usum non vetant, immo, quum Mangold vaporariis vitam produci auctor sit, utilissimus videri possit provectioribus eorum usus, quippe qui prohibeat, ne partes duriores rigescant, humores exsiccentur, citiusque ingruat, quae Schoenleinio dicitur vitae involutio. Apud infantes de rigescentium quidem liquatione non cogitatur, sed permagnum experitur vaporarii effectum systema lymphaticum, quod in hac aetate maxime agit, omniumque, qui lymphae in glandulis vasisque stagnatione et inde impedita sanguinis praeparatione ostenduntur, infantiae morborum causas continet.

VITAE CURRICULUM.

Natus ego Adolphus Hirsch Friesackii, anno hujus seculi sexto, veterique fidei adscriptus, parentibus dilectissimis, patre J. Hirsch, mercatore et a matre Friderica, e gente Samuel, adhuc viventibus gaudeo. Primis literarum rudimentis in schola publica imbutus, postea ab ecclesiastico celeberrimo patriae urbis, nunc pro dolor jam morte defuncto, Hitzer, privatissime instructus sum. Deinde Berolinum missum avunculus benignissimus Henricus Falkenstein, mercator, in domum suam me recepit paternoque animo summis accumulavit beneficiis. Gymnasium h. l. Berolinense, Beller-

manno et Koepke, viris Illustrissimis, directoribus per quinque et dimidium annum frequentavi et maturitatis testimonio exornatus, anno MDCCCXXVIII ab Illustrissimo Klenze t. t. Rectore magnifico in numerum civium academicorum receptus et ab Illustrissimo Bartels, medicorum ordinis maxime spectabili t. t. decano, medicinae studiosis adscriptus sum. Ex quo inde tempore per octo semestria hisce scholis interfui.

Illustr. beat. Knape de osteologia et syndesmologia; Illustr. beat. Rudolphi de encyclopaedia medica, de anatomia foetus nec non organorum sensuum et de physiologia, uterque autem artem cadavera rite dissecandi me docuit; Illustr. Gans de recentioris historia temporis; Illustr. de Seymour de lingua Anglicana et de King Lear of Shakespeare; Illustr. Zumpt de Ciceronis orationibus in Verrem; Illustr. Link de botanice et historia naturali; materiam medicam, fontes medicatos et auxi

lia in repentino vitae periculo suppeditanda me docuit Illustr. Osann. Nec non audivi disserentem Illustr. Schulz de plantis officinalibus; Illustr. Mitscherlich de chemia; Illustr. Hermbstaedt de physice experimentali; Illustr. Rose de mineralogia; Illustr. Ritter de logice; Illustr. Eck de pathologia et therapia generali; Illustr. Wagner de pathologia et therapia speciali et de gravissimis nonnullarum operationum methodis; Illustr. Horn de morbis syphiliticis; Illustr. Becker de morbis pectoris; Illustr. E. Graefe de ophthalmiatrica et de cura oculorum diaetetica; Illustr. Jüngken de chirurgia; Illustr. Casper de morbis infantum; Illust. Kluge de fracturis et luxationibus et de arte obstetricia.

Ad praxin medicam et chirurgicam me instituere Illustr. Bartels, Illustr. de Graefe, Illustr. Wolff, quibus omnibus praeceptoribus illustrissimis, experientissimis, amplissimis summas quas habeo gratias ago.

Jam tentaminibus, cum philosophico tum medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Neque trismus et tetanus, neque sphacelus amputationem requirunt.

II. Fames validissimum remedium.

III. Exsistunt remedia specifica.

IV. Non inveniuntur ostia vasorum peripherica.

V. Tracheotomia in angina membranacea omnino est rejicienda.

VI. Aqua remedii universalis laudem meretur.

VII. Neuroses non semper nervinis tractandae.